

1474.

1305 d. 14 Juli.

Henriks af Lessom qvittens på 100 mark penningar, hvilka Johannes Folkesson till honom betalt.

J. 6: 329.

Omnibus præsentis literas visuris, HINRICUS de lessom perhennem in Domino salutem. Nouerint vniuersj, me a nobili viro Iohanne Folkasson centum marchis denariorum nunc currentium in quibus mihi veraciter obligatus fuerat integre subleuasse, igitur eundem Iohannem de eisdem Centum marchis denariorum liberum habeo atque quitum. In cuius rei Testimonium, Sigillum meum præsentibus est appensum. Datum Anno Domini M. CCC. quinto. feria quarta proxima post Canuti Regis etc.

Sigillet har, enligt teckningen, varit till hälften skadadt.

1475.

1305 d. 17 Juli.

PRIORN ISRAELS och KONVENTETS i Sigtuna förklaring och hemställan till Provincial-Priorn och Konventet i Skeninge, rörande tvisten med Sigtuna kloster om rättigheten till Sjalabodarne i Stockholm.

A. 3. c.

Reuerendis in christo patribus, Priorj prouincialj, et diffinitoribus in Capitulo prouincialj, skeningie celebrando, Frater JSRAEL et CONUENTUS sictuniensis, Reuerenciam et obedienciam debitam cum salute, Paternitatj vestre dirigimus articulos infrascriptos, de negocio, quod uertitur inter nos et fratres Strengienenses de mendicatione focæ. Primus est, quod taberne in quibus foca mendicatur, adiacent et pertinent ville stokholmensi, et quasi eiusdem ville pars sunt, vnde siquis ibidem infirmatur, vel moritur, a sacerdote stokholmensis ecclesie, visitatur communicatur, et sepelitur in cimiterio ecclesie eiusdem. Jtem omnis foca, stokholmis venditur et emitur, sed solummodo in dictis tabernis. v. sialabodum, quia aliquantulum distant a concursu multitudinis, propter fetorem, foca mensuratur. Secundus est, quod semper habueramus hucusque dictam mendicationem sine impetitione cuiuslibet, in pacifica possessione, donec frater Laurencius, tunc prior strengienensis, mouit, et misit fratrem mathiam, dictum Cornhest, iam triennio ibidem mendicare, qui statim prohibitus fuit per priorem sictunie, tunc. vicarium prouincialis, et ad presenciam eius vocatus non venit, excusans se per infirmitatem et defectum nauis. Dictus autem locus est in nostro Archiepiscopatu, Legiferatu, et prouincia nostra attundia, non in surdermannia, in qua est conuentus strengienensis, Reuerendus uero pater, prior prouincialis,

*Sv. Diplom. II.*

58

hijis nostris rationibus et consimilibus, strengienensiumque similiter auditis, et diligenter hincinde (consideratis \*) ponderatis, ordinavit quod in dictis sialabodum de foca mendicacionem faceremus ea condicione adiecta, quam in littera sua super hoc negocio expressit, donec per iudicium prouincie, finaliter causa seu questio dicta finiretur, remittens nobis litteram suam, sub sigillo suo, tenorem predictum continentem, quem exhibitor presencium lector noster, paternitatj vestre presentabit. villas eciam que adiacent parochie dicte solnø, que sunt similiter in nostro archiepiscopatu, Legiferatu, et prouincia scilicet attundia, licet ex parte meridionalj torrentis stokholmensis, et vltra sialabodir situate, nostras, et in nostris terminis esse recognoscimus et affirmamus, quamuis interdum villas predictas et ipsi mendicauerant, nostris fratribus, loca illa, quasi exilia et parue (valoris \*) vtilitatis, ad aliquot annos non visitantibus. frater tamen røricus dicit, et iurat in anima sua, quod ad triginta annos fuit socius fratris Emundj, sictioniensis, illic mendicantis pluribus annis. jtem iurat frater thorirus, quod frater bo. et alij de sictionia multis annis, terminos illos pacifice coluerunt, Contigit insuper estate precedentj, venerabilem patrem, dominum archiepiscopum nostrum, cum magistro andrea preposito, vna et domino birgero, vplandie legifero, nec non et domino Rødh kialdorsson, domino benedicto boson, alijsque ecclesiasticis et militaribus personis ydoneis, mittj ab illustri rege nostro super quodam negocio, quod uertebatur inter ipsum et dominum Ericum ducem, fratrem suum, de confinio et limitibus inter prouincias memoratas, diligenter requisitis. Qui et indagacione rusticorum antiquorum, conuicaneorum vtriusque prouincie, repererunt in ipso confinio scilicet inter arusboawik et telgedj, quod est ultra confinium villarum predictarum, petras quasdam, in quas infusi sunt circuli ferrej, futuris seculis, ueritatem antiquorum, omnibus ostendentes, ibique maiorum et seniorum sagacitate, verum confinium, coram rege nostro et duce, iuramentis affirmarent. Supradictis nos rationibus, et approbacionibus confisi, et potissime littera reuerendj patris, prioris prouincialis, misimus ex more fratres nostros, andream et johannem, ad tabernas sepedictas, pro foca vt prius mendicanda, quibus ibidem aliquandiu morantibus, superuenerunt fratres strengienenses, magnus et Ericus, asserentes se missos a priore suo et conuentu similiter ibidem mendicare, ad quos accessit frater bernardus, tunc supprior noster, eis ostendens et legens litteram prouincialis, qui responderunt se prius talia audiuisse, et propter hec nihil facere uel omittere. postea rogauit, et tandem mandauit eis prior noster, frater Jsrael, tanquam terminorum nostorum inuasoribus sub pena preceptj, quod desisterent, qui responderunt idem quod prius Nos uero videntes illo-

---

\*) Ordet är underprickadt i originalet.

rum pertinaciam, maluimus, non iurj sed scandalo cedere, quam contencionibus confusibiliter deseruire, Ego frater jsrael, fratribus nostris mandauj supersedere. Supplicamus igitur humiliter paternitatj vestre quatinus, equalance libretis iusticiam, ne compellamur indebite luere, quod honestatj, concordie et pacj, eciam cum extraneorum irrisione, et dampno nostro, studuimus prouidere, valete in christo, Scriptum anno domini .M°.CCC° quinto, sabbato proximo ante margarete.

Brefvet har varit sammanviket och försegladt, enligt nu varande bruk; märke efter sigillet öfver fogningen synes ännu.

*Utanskrift:* Priorj prouinciali et Diffinitoribus Capituli prouincialis skeningie celebrandi.  
*Derunder:* Negocium de sialabothum stokholmis.

1476.

1305 d. 16 Aug.

Konung BIRGERS Bref till Ulf Holmgerssons söner, med förbud, att förskingra något af gården Kyrungsrum i Gelborum socken, som deras aflidne broder, Kaniken Harald, gifvit till Linköpings Domkyrka, förr än lagligen blifvit undersökt och afgjort, hvem samma gård bör tillhöra.

A. 3. o.

BIRGERUS dei gracia sweorum gothorumque rex, Discretis viris, domino holmgero, karulo, laurencio et holmgero filijs domini vlsonis holmgeri filij bone memorie, In domino gratiam et salutem, Quoniam veraciter intelleximus, quod dominus haraldus frater vester quondam Canonicus lincopensis, curiam kyrunxrūm, parrochie gelborum, ecclesie lincopensi, in suo legauit vltimo testamento, Prohibemus firmiter et districte, Ne quis vestrum de dicta curia aliqua surripere seu distrahere presumat, donec per nos aut nostrum certum mandatum, legittime discussum fuerit et determinatum. ad quem dicta curia debeat pertinere, Datum anno domini. Millesimo, Trescentesimo, quinto. decimo septimo kalend. septembris.

Sigillet till det mesta bortfallet från den ur brefvet klippta remsan.

1477.

1305 d. 22 Aug.

Skeninge.

Provincial-Priorn PETERS Vidimation af Påfven Bonifacius VIII:s Bulla, utgången till nämnde Orden, rörande brödernas bestraffning.

A. 1. 85.

Omnibus presentes litteras inspecturis. Frater. PETRUS. Fratrum ordinis predicatorum in prouincia Dacie Prior prouincialis licet indignus. Salutem in domino sempiternam. Noueritis me recepisse et habere, litteras sanctis-